

Periegesis Monacensis
instituta a Valahfrido (Wilfried Stroh)
die 18 et die 21 m. Apr. a. 2006

Vrbs quam demonstraturus sum est Monachium siue Monacum,
unde ciues eius Monacenses dicti.

Nomen deriuatum putant a monacho in insigni urbis
(uocatus etiam puellus Monacensis, *Münchner Kindl*).

Vrbs neque Romana (ut illa Castra Regina, Augusta Vindelicum, Cambodunum)
neque inter ipsas Bauaras antiquissima est.

Quasi mater eius est Frisinga (*Freising*),
ubi multis saeculis ante Monachium summa ingenia et Latinae litterae floruerunt.

Monachium conditum Anno Domini 1158 ab Henrico Leone Guelfo;
non ante a. 1505 caput totius Bauariae factum est
(abhinc, si diligentissime computamus, quingentos annos).

Vrbis historiam si percensemus:

paene semper hic regnauerunt Vittelsbacenses, quorum insignia nostis:
etenim sunt leo, rhombi colore albo et caeruleo.

Distinguendae autem sunt quattuor aetates:

prima fuit ducum (*Herzöge*), usque ad saec. XVII,
secunda electorum (*Kurfürsten*), usque ad initium saec. XIX,
tertia regum (*Könige*), usque ad finem Belli maximi primi.

Ex illo tempore Bauaria libera res publica est (*Freistaat Bayern*) –

non quo se liberauerit a Germanis ceteris,
sed quod eius ciues sunt liberi -
in qua nunc iam fere quinquaginta annos dominantur Christiani Sociales,
quasi successores Vittelsbacensium.

Memoriae autem mandetis rogo maxime hos quattuor principes,
quorum plurima uestigia hodie inueniemus:

Albertus V. dux (inde ab a. 1550), Musis ac litteris amicissimus,
Gulielmus V. eius filius (inde ab a. 1579), qui Pius uocatur (et fuit),
Maximilianus I. dux et elector (inde ab a. 1598), uir summopere strenuus et felix,
Ludouicus I. rex Bauariae (inde ab a. 1825), qui magis quam alii urbem ornauit.

Neque omnia uobis uisu digna aut pleraque demonstrare possum:

contentus ero paucis, in quibus maxime antiquitatis et Latinitatis lumina appareant.

Sed incipiamus ab Vniuersitate, cuius in Atrio (q.d. *Lichthof*) congregati sumus:

Non semper ea his in aedibus fuit neque in hac urbe Monacensi,
sed a. 1472 Ingolstadii (*Ingolstadt*) siue Angelopoli condita est a Ludouico duce dicto Diuite
(duce non Monacensi, sed Landishutensi).

Ibi inter primos docebat antecessor meus nobilissimus Conradus Celtis,
dictus Germanorum archihumanista (*Erzhumanist*),
professor scilicet poesis et eloquentiae.

Plus quam tria saecula haec uniuersitas manebat Ingolstadii,
tunc a. 1800 translata est Landishutam, deinde a. 1826 Monachium.

Inde etiam nomen explicandum est, quod uocatur „Ludouica-Maximiliana“.

Ludouicus Diues enim dux erat, qui condidit;
Maximilianus elector (postea rex futurus), qui primus transportauit (sc. Landishutam).

Quis autem huc transtulit, ut esset tandem Monacensis (*Uni München*)?

Is erat Ludouicus I. rex,
uir magnopere de artibus ac litteris meritis, a. 1826.

Quare hic eius effigiem marmore expressam uidetis:

sedet in sua sella tamquam senator aut consul Romanus:
pulcher sane homo et quem puellae feminaeque amare possint.

Librum manu tenet non ea figura qua nunc libri esse solent, sed uetus uolumen est siue charta,

nempe ut ipse dignior et antiquior uideatur.
 Hic uir maxime deditus erat litteris Graecis et Latinis
 (quorum etiam metris in Germanicis poematibus usus est).
 Is Monachium suum uoluit esse quasi nouas Athenas siue Athenas Isaricas (*Isarathen*)
 Ottonemque filium suum liberatae Graeciae regem constituit.
 Quibus in studiis ualde adiuuabatur a Friderico Thiersch amico eius,
 gubernatore Seminarii Philologici nostri,
 qui tum Philologiam siue studia humaniora in uniuersitate docebat
 omnesque scholas Bauaricas ad humanitatem conformare conabatur.
 Ergo is Ludouicus I. et uniuersitatem Monachium in caput Bauariae uocauit
 et aliquanto post has nouas ei aedes dedit,
 quas designauerat Fridericus Gaertner architectus tum gratissimus regi.
 Dedicatae autem sunt aedes a. 1840:
 inde ab eo tempore igitur haec dicitur uniuersitas Monacensis.
 Manifestum est igitur cur Ludouico statua sit posita.
 Sed cur etiam Luitpoldo quem iuxta uidemus?
 Qui uero nomine non rex erat, sed tantum princeps (*Prinzregent*) uocabatur,
 regnauit autem in Bauaria quasi rex esset.
 A quo tota aetas nomen accepit: nominatur enim aetas principis (*Prinzregentenzeit*),
 quae nunc quoque omnium aetatum felicissima existimatur;
 erat enim uir maxime pius ac popularis; uixit autem plus quam nonaginta annos
 (neque eum quisquam sine barba candida uidit).
 Ergo Luitpoldo regnante aedes hae uniuersitatis,
 quae nimis angustae factae erant, auctae et amplificatae sunt:
 Haec enim pars in qua nunc sumus (sc. in Atrio) et illa posteriora omnia
 non sunt Ludouici regis aut Friderici Gaertner,
 sed Luitpoldi principis (qui Germanum Bestelmayer architectum strenuum adhibuit).
 Genus structurae autem (siue stylus qui uulgo dicitur)
 id est quod a Iuuentute nomen ducit (*Jugendstil*) –
 quod genus hic Monachii primum natum atque inuentum est
 (propter periodicum aliquod cui „Iuuentus“, *Jugend*, titulus fuit).
 Videte summam concordiam inter ueteres nouasque partes, quae minime inter se pugnant!
 Hac in uniuersitate nostra, ut nostis, egregii philologi docuerunt,
 ut praeterito saeculo e Graecistis: Eduardus Schwartz, Rudolfus Pfeiffer, Curtius a Fritz, Vuo
 Hoelscher,
 e Latinistis: Eduardus Woelfflin, Ioannes Stroux, Fridericus Klingner.
 Sed horum omnium gloriae longe antecellunt ei,
 qui nomine Rosae Candidae (*Weißer Rose*) comprehenduntur:
 ei, ut nostis, ultimis Belli maximi secundi annis tyrannidi Hitlerianae resistere ausi
 supplicio crudelissimo affecti sunt.
 Nomina omnibus nota:
 Sophia Scholl (uidete imaginem eius tam proterue capillatam!),
 Ioannes Scholl frater eius animosus,
 Curtius Huber professor musicologus, tres alii, non minores.
 In hoc Atrio ab eis chartulae (siue folia uolucra, ut dicunt) distribuebantur,
 donec ab Iacobo Schmied
 uniuersitatis aedituo siue accenso academico (*Pedell*) deprensi,
 ad tyrannos denuntiati et delati sunt.
 Quorum memoria hic quoque summo studio celebratur, non solum hoc monumento.
 Quotannis sollemnes orationes in eorum honorem habentur;
 etiam partes fori ante uniuersitatem siti ab eis nomen habent:
 Forum Schollianum, Forum Huberianum (quae uidebimus).
 Sed antequam digredimur, uidete quam plenum hoc sit Atrium titulorum Latinorum,
 qui paene omnes ex Horatio et Vergilio sumpti sunt, ut
 „Labor omnia vincit improbus“ aut
 „Vis consili expers mole ruit sua“.

Vnus nouus est, quem fecit nostri Seminarii professor Georgius Pfligersdorfer:
 „Mortuorum uirtute tenemur“

Olim illic inscriptum erat notissimum illud Horatii:
 „Dulce et decorum est pro patria mori“.

Iam abhinc paene quinquaginta annos contra hanc sententiam reclamauit studiosa iuuentus;
 quare Horatiana remota sunt, successerunt Pfligersdorferiana.

Per scalas uenimus in Forum Schollianum.

Tota haec area, quam spectatis, disposita ac designata est a Gaertnero uniuersitatis architecto,
 qui hoc forum non ad aliquod exemplum ueteris antiquitatis confirmare uoluit,
 sed ad eam aetatem quae a renascentibus litteris nomen habet.

Quare fit, ut hic omnia Italiam ipsam spirare et quasi exhalare uideantur.

Spectate etiam paruas bullas in fronte aedium Uniuersitatis:

Haec sunt imagines lepidae professorum Ingolstadiensium clarissimorum –
 sed, quod incredibile est, nemo adhuc indagauit cui quaeque imago attribuenda sit!

Ad dexteram autem sese extendit Via Ludouiciana (*Ludwigstraße*),

scilicet a Ludouico rege nominata,

cuius illa superior pars a Leone a Klenze,

haec inferior a Gaertnero ad arbitrium regis exstructa est.

Videte hic quoque faciem formamque Italicam!

Hac sua uia Ludouicus ueterem partem Monachii (quae olim muro inclusa erat)
 coniunxit cum uico cui nomen est Suapinga (*Schwabing*),

nunc celeberrima fere pars Monachii (praecipue propter pictores, poetas, musicos),
 olim pagus rusticus, ab urbe semotus.

Sunt autem duo quasi termini aut metae Viae Ludouicianae:

altera, illa remota, est Porticus Ducum (*Feldherrnhalle*),

quattuor annis post uniuersitatis aedes (a. 1844) dedicata,

alter est Arcus triumphalis (*Siegestor*), paulo post aedificari coeptus, perfectus a. 1852.

Cuius exemplum antiquum Arcus Constantini Romanus est.

Hic cum Bello secundo maximo paene solo aequatus esset,

nunc restitutus est ex aliqua parte (non totus, quod doleo);

et quoniam rei militaris uel Martialis pudebat,

quasi lenierunt superbiam Arcus triumphalis hoc nouo titulo (quem Latine uerto):
 VICTORIAE SACRATVS, BELLO DESTRVCTVS, AD PACEM HORTANS.

Sacratus autem erat olim non uni uictoriae, sed quasi omnibus,

i.e. exercitui Bauarorum semper uictori.

In fastigio ipso uidetis Bauariam deam spectabilem sane, ex aere factam,

uectam in quadriga a leonibus,

quae obuiam ire exercitui uictori per Suapingam in urbem ingredienti uidetur.

Sic Via Ludouiciana quasi uia triumphalis facta est – quod hodieque ex parte ualet:

Nam quotiens illa Sodalitas lusorum pedifolium Bauarorum (*FC Bayern*)

aliquod maius praemium siue laurum adepti sunt,

ut in illo Certamine uictorum (*Champions League*),

quasi triumphantes et ouantes per hanc uiam urbem ingrediuntur –

non illi quidem quadrigis aut leonibus, sed autocinetis,

plaudente tamen et gaudente populo immenso,

quasi illi ueras uictorias pro aris et focus pugnantibus uicissent.

Pars huius pulcherrimae uiae est etiam haec Ecclesia Ludouici (*Ludwigskirche*) prope sita,

sic scilicet dicta non ab ipso rege, sed propter regem,

qui eam D. Ludouico patrono suo consecrare uoluerit.

Haec a Gaertnero ad formam basilicae Byzantinae exstructa

eodem anno (1844) quo Porticus Ducum perfecta est.

Nota est omnibus qui harum rerum periti sunt propter ingentem picturam eius generis

quo colores in humidum inducuntur (quod Germanice appellatur *Freskomalerei*).

Dicunt enim maiorem picturam eius generis in orbe terrarum non exstare.

Adumbravit autem et ex parte ipse fecit pictor illustrissimus, Petrus Cornelius,

quem tum multi ut nouum Michelangelum celebrabant.
 Paulo longius hinc remota est Bibliotheca Publica (antea Regia),
 quam Albertus V. dux condidit, huc transtulit Ludouicus rex.
 Eam uisitare nobis hodie non licebit.

Venimus in Forum Odei (*Odeonsplatz*),
 quod nomen habet ab Odeo, oeco olim pulcherrimo, apto musicis symphoniacis,
 qui propter excellentiam et suauitatem musicorum sonorum ab omnibus laudabatur.
 Id Odeum Ludouicus I. in superiore parte Scholae musicae, quae hic fuit, esse uoluit:
 architectus autem fuit Leo a Klenze totius Viae Ludouicianae quasi pater et inuentor
 (quamquam multa post illum Gaertnerus, ut iam uidimus, addidit).
 Omnia haec aedificia, cum bello deleta essent, postea restituta sunt –
 excepto eheu! ipso Odeo, cui uindices et fautores defuerunt.
 Non inspiciemus Hortos aulicos (*Hofgarten*), qui sunt a sinistra,
 quos condidit Maximilianus I., primum dux, deinde elector Bauariae.
 qui princeps Christianus, ibi tamen sacellum Dianae paganae fieri uoluit.
 Hi attingunt ipsam Aulam siue Domum Principis (nunc uulgo dictam *Residenz*),
 quam idem Maximilianus summa cura
 et, quantum fieri potuit temporibus grauissimis, egregia liberalitate auxit et ornauit.
 Huius ingenio tribuenda etiam haec facies et frons Aulae uidetur,
 in qua media dominatur Maria (a Ioanne Krumper uenustissime sculpta),
 quam Maximilianus primus Patronam Boiariae (ut uidetis) uocauit;
 huic tamquam subiectae ut ancillae sunt quattuor illae Platonicae uirtutes,
 quas hic allegorice expressas spectare licet:
 scilicet Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia.
 Has, ut nostis, etiam Cicero in eis quae De officiis scripsit ut summas uirtutes proposuit:
 Sic Christianam religionem hic cum philosophia uetere Graeca et Romana
 a principe et doctissimo et religiosissimo coniunctam uidetis.
 Cum religione autem ut saepe coniuncta est superstitio:
 Spectate hos quattuor leones singulis uirtutibus attributos.
 Hos ciues Monacenses quotiens praetereunt naribus attingunt,
 quoniam inde bonum omen nasci creditur.

Longe diuersum est quod ab altera parte Fori aedificium quasi oppositum Aulae uidetis
Ecclesia S. Caietani (uulgo *Theatinerkirche*).
 Hanc aedificari iussit ex uoto propter filium feliciter natum Ferdinandus Maria Elector,
 Maximiliani successor (cuius insigne in media fronte cognoscitur)
 et fieri uoluit Italico genere structurae barocco.
 Nam ei electori aliter ac Maximiliano patri omnia Italica placebant.
 Itala erat uxor Ferdinandi Mariae, Adelaidis;
 Itali erant monachi Theatini (cuius ordinis conditor D. Caietanus),
 quibus haec ecclesia tradita est.
 Ergo architecti quoque fuerunt Itali: primus Augustinus Barelli, postea Henricus Zuccalli,
 cui haec frons pulcherrima, ipso colore flauo iucundissima, debetur
 (forma turrium tortuosarum, ut arietinis cornibus similes sint,
 in orbe terrarum, quantum scio, singularis est).
 Ultimam manum fronti imposuit Franciscus Cuvillier
 (stylo non iam barocco, sed rococo q.d.):
 plus enim quam totum saeculum in hac ecclesia aedificanda consumptum est.
 Quattuor statuas hic uidetis: D. Caietani (ut par est), D. Maximiliani (propter patrem, puto, electoris),
 D. Ferdinandi (propter electorem ipsum), D. Adelaidis (propter uxorem).
 Ipsam ecclesiam si forte uisitabitis: animaduertite titulum Latinum supra portam
 et praecipue statuas euangelistarum in chori introitu positas, quae sunt egregie sculptae.
 Ecclesia interior autem, tota candida, non omnibus aequae placet: nonnullis frigere uidetur.

Multo recentior quam et illa pars Aulae et ecclesia D. Caietani
est haec Porticus Ducum (*Feldherrnhalle*), cuius iam antea mentionem feci.

Hanc, ut meministis, Ludouicus rex suae uiae Ludouicianae terminum uoluit esse,
ad exemplum notissimae „Loggia dei Lanzi“ Florentinae.

Hic quoque, ut uidetis, res bellica praeualet (ut olim in Arcu triumphali):

Duo magni duces ut exempla summae uirtutis proponuntur:

alter est Comes a Tilly (siue Tillius),
dux ualde Christianus, catholicae fidei eximie deditus,
in Bello triginta annorum ab uno Gustavo Adolfo uictus
(uidete eius modestiam uultus, quae hominem pium et humilem decet);

alter est Carolus Philippus Wrede,
qui a. 1813 contra Napoleonem uario successu pugnauit.
(At eius figura quanto est erectior et audacior!)

De quo nunc quoque canticum notum exstat:

*Folgen dem General Wrede nach,
der für uns gewonnen hat die Schlacht.
Patriot, schlag ihn tot,
Napoleon, den Erzkujon ... etc.*

Id est:

Sequimur propere Wredium,
qui deuicit proelium.
Occidat, pereat,
Napoleo, hic nebulo ... etc.

Quo loco tamen meminisse debemus Bauaros,
qui se in monumentis Monacensibus ubique inimicos Napoleonis iactant,
saepissime in bellis et cum Francogallis et cum Napoleone ipso stetisse.

Tamen, ut scitis ipsi, non propter hos duo duces, Tillium et Wredium,
haec porticus notissima facta est,
sed propter eum qui se ut singularem ducem et imperatorem (*Gröfaz*) celebrari iussit,
cui Dux etiam pro titulo ac nomine fuit: Adolfus Hitler.

Qui a. 1923 mense Nouembri in caupona dicta *Bürgerbräu*
tres summos magistratus Bauariae se abdicare suis muneribus ui coegit,
deinde una cum Ludendorffio et asseclis suis (qui fuerunt fere duo milia hominum)
per urbem iter et quasi pompam militarem fecit,
ut ciues ad seditionem ac tumultum concitaret.

Cui hic ad Porticum Ducum tandem obuiam ierunt ministri publici armati (uulgo *Landespolizei*),
quo congressu et proelio uiginti homines interfecti sunt –
e quibus quindecim erant Hitleri sectatores.

Ei postea ut maximi heroes laudati et concelebrati sunt,
ut etiam nomina hic eorum in tabula quasi sacra inciderentur.

Quod monumentum praetereuntes omnes
illa Germanica salutatione (*Deutscher Gruß*) salutare cogebantur;
qui id uitare uolebant, utebantur illo angiportu Viscardiano (*Viscardigasse*),
qui ob eam causam usque ad nostra tempora nomen habet
„Angiportus fugitiuorum“ (*Drückebergergasse*).

Ingredimur iam uiam splendidam: quae dicitur Briennensis (*Briennerstraße*),
qua coniunguntur Forum Odei et Forum Regium (inter quae est Forum Carolinae).

Olim appellata erat Via Regia (*Königstraße*); 1829 nomen conuersum:
apud Briennam (Brienne) in Gallia enim (a. 1814) Napoleo deuictus est.

Hinc conspicimus in Foro Vittelsbacensi monumentum omnium grauissimum:
statuam Maximiliani I. electoris equitis, de quo iam saepius dixi.

Vir sane memoriae mandandus: maximus fortasse Bauarorum qui umquam fuerunt.
Regnauit plus quam L annos felicissime:
ciuitatem Bauarorum accepit aere alieno oppressam culpa patris,

summa parsimonia huic damno subuenit,
 tantopere auxit Bauariam ut in Bello maximo (XXX annorum)
 suis sumptibus rem catholicam paene unus sustinere posset;
 eius auspiciis exercitum duxit Tillius (quem modo uidimus);
 fuit etiam Musis et artibus,
 urbem muniuit, aulam splendide amplificauit, picturas collegit.
 Seuerae pietatis fuit, sed uellem religioni catholicae minus deditus fuisset!
 Hanc statuam autem fecit sculptor nobilissimus Bertelius Thorvaldsen Danus
 iussu Ludouici I regis:
 manum leuat elector quasi urbi nunc quoque quo sit eundum monstrare uelit.
 Sed nos nunc intramus partem interiorem Monachii ueteris.
 Hoc est Forum Amirae (cuius nomen a iurisperito quodam):
 adiunctum est Forum Saluatoris: cum ecclesia S. Saluatoris,
 quam Ludouicus I. dedit orthodoxis Graecis, qui hodieque tenent.
 Via qua pergimus nomen habet a cardinali Faulhaber olim ualde laudato
 quod tyrannidi Hitlerianae restititisset –
 cuius nunc tamen fama in ambiguo est
 (quod eum quidam dicunt rei militaris nimis studiosum fuisse).
 Haec est Domus Holnstein:
 nunc sedes Friderici Wetter cardinalis et archiepiscopi, olim Iosephi Ratzinger.
 Illic Domus Montgelas (nunc Aula Bauarica – *Bayerischer Hof*):
 Nuper facta est haec statua, quam uidetis, Maximiliani Iosephi Montgelas:
 qui multos annos uir uel potentissimus totius Bauariae fuit,
 Maximiliano I Iosepho rege Bauariae minister.
 Hic dicitur quasi conditor fuisse nouae Bauariae (qualis nunc est):
 infregit uim ecclesiae (quare nunc quoque eum clerici oderunt),
 ad exemplum Napoleonis et Francogalliae totam Bauariam
 (addita etiam Francia et Suebia) administrauit.
 Statua eius certe foedissima est, nimis longa, rudis neque loco neque uiro digna:
 plurimis ciuibus molesta.
 Neque enim a uero sculptore ficta est,
 sed computatri ope e uariis imaginibus artificialiter concinnata.
 Assentior eis qui hanc statuam in aeriportu collocandam esse dicunt.
 Iam sumus in Foro ambulationis (*Promenadeplatz*):
 Ceterae statuae, quas uidetis, meliores sunt:
 maior pars eis uiris dicata, qui Musis ac litteris gloriam nacti sunt,
 ut Orlandus Lassus, Villibaldus Gluck, Laurentius a Vestenrieder.
 Hanc autem Ecclesiam Carmelitarum, Maximilianus I dux dedicauit ex uoto
 propter uictoriam ad Pragam partam.

 Sed nunc appropinquamus Ecclesiae longe pulcherrimae dedicatae D. Michaeli.
 Haec ecclesia D. Michaelis debebat esse quasi arx et propugnaculum religionis catholicae
 in tota Bauaria, ne dicam in tota Germania.
 Diu dubitauerunt principes Germaniae multi saeculo XVI.,
 utrum Lutheranam doctrinam nouam sequerentur
 an Veteri ecclesiae fideles adhaerent.
 Vix dubitauerunt Vittelsbacenses,
 sed paene ab initio sese catholicae fidei deditos profitebantur.
 Acerrimus autem propugnator catholicae fidei erat Albertus V. dux:
 anno 1559 ad corroborandam religionem Iesuitas Monachium uocauit
 eisque Collegium dedit – quod hic ecclesiae adiunctum uidetis,
 tum splendidissimum omnium aedificiorum Monacensium:
 maius et ornatius quam ipsa Aula ducum et palatium fuit,
 Collegium, cuius splendor prope ad Escorialem Matritensem accessisse dicitur.
 (Iesuitis autem, ut nostis, id maxime erat propositum,
 ut ueterem religionem et defenderent et pietate uera renouarent.)

Albertum secutus est filius: Gulielmus V. quoque Pius uocatus.

Is huius Ecclesiae conditor est, quam ornatissimam et pulcherrimam esse cupiebat:

dedit autem Iesuitis ut optimis fidei catholicae patronis.

D. Michaellem ut patronum elegit,

primum quod ipse die Michaelis natus erat,
deinde quod Michael Luciferum siue Diabolum de caelo deturbauerat.

Qua uictoria theologi significari putabant eam uictoriam

qua ecclesia Romana haeresin protestantium deuincere deberet:

Bis haec uictoria Michaelis demonstratur:

in fronte Michael uictor aere excusus est (quem fecit Hubertus Gerhard),

in Summo Altari coloribus depictus est a Christophoro Schwarz.

(utraque imago mirifice facta!)

Totam ecclesiam designauit Fridericus Sustris architectus tunc illustrissimus.

Ad quam consecrandam a. 1597 acta est fabula scaenica ante ipsam ecclesiam,

„Triumphus D. Michaelis“, opus eximiae magnitudinis:

durauit fere decem horas, egerunt mille actores, etiam Iapones et Afri, aderant chori musici,

machinae quoque plurimae adhibebantur, quarum ope etiam uolabant homines –

et haec omnia agebantur a discipulis gymnasii, nempe lingua Latina.

Nec semel Iesuitae talia spectacula exhibebant

(nam omnibus qui litteris student in ore est scaena Iesuitarum, *Jesuitentheater*),

sed illa actio quae tum Monachii fuit omnia superauisse uidetur.

Frons aedificij singularis –

quam magis mediaeuali curiae quam ecclesiae aptam credas.

Hic Vittelsbacenses suam gentem ut uetustissimam concelebrant,

intermiscent suis tamen etiam aliarum gentium uiros illustrissimos.

In summo fastigio est Saluator (Christus),

in inferiore parte duces qui ante Vittelsbacenses fuerunt, ut Otto dux primus;

in secundo quasi tabulato praeter alios est Carolus Magnus

(quem Vittelsbacenses sibi cognatum putabant)

in primo siue infimo sunt et Vittelbacenses et imperatores gloria celeberrimi:

A sinistra ad dexteram:

Maximilianus I. imperator Habsburgensis –

Ludouicus rex Romanorum, postea imperator, Vittelsbacensis –

Albertus V. dux Bauariae Vittelsbacensis –

Gulielmus V. Vittelsbacensis (qui aedificauit ecclesiam: cuius effigiem manibus tenet) –

Carolus V. imperator Habsburgensis –

Ferdinandus I. imperator Habsburgensis.

Hic igitur in uno ordine tres duces Vittelsbacenses,

tres imperatores Habsburgenses, indicium perpetuae concordiae,

quae inter Vittelsbacenses et Habsburgenses aut erat aut esse debebat.

Sunt autem omnes, ut uidetur, uerae fidei catholicae propugnatores,

qui hanc ecclesiam contra inimicos tueri debent.

Ingrediamur in partem interiorem:

nihil magnificentius eo tempore in terris transalpinis aedificatum puto.

Hic in parte media templi

Gulielmus sibi Renataeque uxori suae sepulcrum positum esse uoluit

maximis sumptibus elaboratum, egregio artificio Huberti Gerhard.

Nolebat id ipsum successor et filius eius: Maximilianus I.,

qui nimios sumptus patris et illam gloriae affectationem oderat;

non quidem aperte aduersatus est operi, sed, ut uidetur, clam fieri prohibebat.

Ergo nunc singulae partes huius Gulielmiani sepulcri dispersae sunt:

in latere ecclesiae stat Crucifixus cum Magdalena;

angelus in introitu aquam lustralem (s. sacratam) custodit;

quattuor uiros armatos postea in ecclesia Mariae uidebimus,

Mariam ipsam in columna Mariana.

Etiam illi leones qui in fronte Aulae quasi custodum munere funguntur,

reliquiae sunt huius monumenti numquam perfecti.
Adest autem aliud sepulcrum marmoreum memorabile,
duobus saeculis post exstructum
a spectabili artifice Bertelo Thorvaldsen Dano:
Hic iacet Eugenius Beauharnais priuignus Napoleonis I.:
in matrimonium duxerat Augustam Amaliam
filiam Maximiliani I. Iosephi (regis Bauariae):
perpetuae concordiae signum inter Francogalliam et Bauariam.
Titulus nec Latinus nec Bauaricus, sed Francogallicus est („Honneur et fidélité“).
Monumentum ipsum non solum pulchrum, sed etiam suaue et amabile, tamen triste.
Adest Clio Musa historiae quae Eugenii facta perscribere cupit;
adsunt Genii mortis et uitae, altera face demissa, altera erecta.
E barocca aetate in ecclesia multae exstant optimae picturae;
maior pars facta a Petro Candid et ab Antonio Maria Viviani
et a Christophoro Schwarz pictore Monacensi.
Vix ullam Ecclesiam usquam inuenietis quae splendore artis pictoriae tantopere excellat.
Inter reliquias sanctorum eminent Cosmas et Damianus, patroni medicorum.

Descendamus ad inferos: XIV hic sepulcra, omnia Vittelsbacensium;
inter ea scilicet Gulielmus V. ipse (conditor) et Renata uxor eius Lotharingiensis.
Memorabilia duo:
In arca exigua, modestissima iacet Maximilianus I., elector
(summus rector ciuitatis, dux exercituum), egregie de patria meritis:
sic ipse uoluit uir minime gloriosus.
Contra in sepulcro ornatissimo, magnificentissimo Ludouicus II. sepultus est,
minus meritorum quam insaniae causa notus.
Quam diuersa haec sunt: esse et uideri! – Redeamus ad superos!

Nunc properamus ad ecclesiam omnium notissimam, Monachii quasi medullam,
quae dedicata est Mariae deiparae.
Quod Romanis templum Iouis Capitolini,
hoc uidelicet Monacensibus templum Mariae dominae (*Frauenkirche*),
cuius turre bulborum figura fictae quasi symbola ipsius urbis et insignia sunt.
Vt e carmine quodam, quod mox cognoscemus, manifestum est,
prima fundamenta a. 1486 iacta sunt a Sigismundo duce ecclesiae,
quam iam antea mente conceperant ciues Monacenses.
Primus architectus erat Georgius (*Jörg*) ab Halspach;
multa addiderunt postera saecula.
Multa nunc quidem omittemus uisu dignissima:
Sed quod longe illustrissimum monumentum appellatur Castrum doloris,
id diligentius inspiciendum erit
Est sepulcrum Ludouici Bauari Vittelsbacensis,
qui saec. XIV fuit non solum dux Bauariae, sed etiam rex Romanorum,
postea imperator siue Caesar Romanus,
unus fere e Vittelbacensibus ad tantam dignitatem euectus.
Sed propter hanc ipsam dignitatem ei Ioannes XXII. papa aduersatus est,
qui Ludouicum ut regem non approbavit,
sed semper per contemptum appellabat Ludouicum Bauarum (quod nomen mansit).
In hac summa contentione imperatoris et papae factum est etiam,
ut Ludouicus a papa anathemate deuoueretur
et excommunicaretur (q.d. *Kirchenbann*).
Vix credetis: Ne nunc quidem hoc anathema solutum est.
Magnum dedecus cunctis Vittelbacensibus tam piis, tam religiosis:
unum e maioribus suis hac turpi ignominia notatum esse!
Imprimis Maximilianus I. abauum suum hac turpitudine liberare studebat:
Quare cum alia fecit, tum hoc pulcherrimum ei sepulcrum constituit.

Integumentum ipsius sepulcri (in quo est Ludouici ipsius effigies uenustissima)
nunc uix oculis dinosci potest:

est autem mediaeuale, cetera sunt recentiora.

Qui sunt in quattuor angulis milites armati, eos fecit Hubertus Gerhard;

erant autem destinati sepulcro Gulielmi V. in Ecclesia D. Michaelis, nunc huc transportati.

Etiam meliores sunt duae statuae ducum:

altera Alberti V. calui (equitis habitu);

altera Gulielmi IV. aulico habitu ornati.

Speremus aliquando futurum ut Ludouicus tam magnifice sepultus

etiam anathemate soluatur! An per Benedictum XVI. papam?

In Porta sponsae (*Brautportal*) incisa est elegia uetustissima

facta a poeta, ut uidetur, Monacensi.

Primum queritur de fugacitate temporis,

deinde narrat quomodo Sigismundus dux hanc aedem condiderit.

Clam fortuna ruit fragili pede tempus et hora
Nostraque sint semper facta dolenda nimis
Ecce Sigismundus princeps serenissimus vrbis
Bawarie Reni duxque comesque diu
Huic animi pietas virtus prudentia summa
Alma deo complens vota que digna pie
Virginis excelse templum dum construi cernit
Saxum fert primum letus honore Dei ... etc.

Carmen non sine uitiiis metricis, sed pro tempore tolerabile:

uidemus iam exeunte XV saeculo fuisse quosdam poetas Latinos Monacenses – nec mirum:

Fuit hoc ipso loco, apud ecclesiam Mariae, Schola quaedam Latina,

quae uocabatur Schola Poetarum (*Poetenschule*),

quoniam discipuli Latine non tantum loqui, sed etiam carmina fingere discebant.

Sed nos ad maiora properemus!

Hoc nunc uocatur Forum Marianum (*Marienplatz*),

olim dicebatur Forum frumentarium (*Schrannenplatz*).

Causa huius nominis mutationis iterum Maximilianus I.,

qui a. 1638 hic erigi iussit Columnam Marianam (*Mariensäule*) – quam ob rem?

Dixi de bello XXX annorum, cuius maxima pars erat Bauaria Maximiliano duce.

Post uictorias gloriosas acerbae clades secutae sunt,

praesertim cum Gustauus Adolfus rex Suecorum Germaniam ingressus esset.

Is a. 1632 Monachium cum suo exercitu occupauit,

urbi incendium et uastationem minabatur.

Numquam urbs in maiore discrimine fuit: quid agerent ciues?

Liberauerunt et redemerunt se pecunia quae imperabatur: 300.000 florenis (*Gulden*).

Itaque Gustauus Adolfus urbi pepercit

neque omni Bauariae multum nocuit.

Quam uix speratam salutem Maximilianus dux non clementiae regis tribuit,

sed misericordiae Mariae adscripsit:

qua re ei columnam statui iussit, cui imposita est statua Mariae inauratae,

quam Hubertus Gerhard olim sepulcro Gulielmi V destinauerat.

Anno 1638 haec columna per episcopum Frisingensem consecrata est

magno et sollempni apparatu.

Titulum autem (s. inscriptionem) fecit

uir tum omnium doctissimus et Latinissimus: Iacobus Balde poeta.

Quae uerba nunc quoque post restitutionem columnae

(abhinc xxx annos factam) legimus:

[...] uirgini Deiparae Boicae dominae benignissimae protectrici potentissimae

ob patriam urbes exercitus seipsum domum et spes suas seruata hoc perenne ad posteros monumentum
Maximilianus [...] clientum infimus gratus supplexque p(osuit)

Maximilianus autem Mariae ualde deditus erat:

post mortem epistula eius inuenta, qua se sanguine suo ut famulum Mariae adiudicauit.

Consecrationem columnae Iac. Balde ode celeberrima cecinit

(omnium poetarum Marianissimus).

Haec columna olim in Foro excelsa eminuit –

nunc quasi obruitur et obscuratur Noua Curia

genere neogothico in immensam altitudinem exstructa: turpissime!

Multo commodior illic est Vetus Curia, ubi olim etiam fabulae scaenicae dabantur.

Ac notum est inde Iosephum Goebbels moderatum esse Noctem illam crystallinam q.d.,

qua fere omnes synagogae Iudaeorum in Germania concrematae sunt:

id eum ausum esse coram Maria uirgine quae Iudaea et Nazarena fuit!

Sed nos pergamus ad Aulam, sedem ducum, electorum, regum!

Ad Forum primum peruenimus quod nomen habet a Maximiliano I. Iosepho rege:

hic ipse sculptus conspicitur neque stans, neque equitans, sed sedens.

Quare? Hic Maximilianus primus e Wittelsbacensibus rex factus est,

Napoleonis gratia, qui suum socium hac dignitate augere uoluit

eique praeter Bauariam addidit etiam Franciam et Suebiam.

Voluit autem non tyrannus regius, sed maxime popularis et ciuilis uideri:

eam ob causam sedentis habitus ei maxime accommodatus putabatur.

In aduersa parte fori duo theatra scaenica:

Magnum theatrum musicum (*Staatsoper*)

et alterum quod ab Aula nomen habet (*Residenztheater*):

utrumque theatrum non urbis est, sed Bauariae.

Ex ipsa Domo principis minimam partem uobis ad demonstrationem elegi,

sed, puto, pulcherrimam: uisitabitis enim Antiquarium.

Sed antea breuiter inspiciamus eam partem

quae Antrum siue Specus dicitur (*Grottenhof*) –

quam exstrui iussit Gulielmus V. ad recreationem aulicorum:

mira structura, quae omnis e conchis composita est.

In parietibus autem erant picturae e Metamorphosis Ouidianis sumptae

(nunc uetustate paene deletae):

maior pars earum ad Mercurium spectabat, cuius etiam aurea effigies adest.

In exteriore parte signum uenustissimum ex aere factum est:

Perseus qui Medusae caput abscidit (quam statuam fecit Hubertus Gerhard),

heros eo nomine carus Gulielmo,

quod similis uideri poterat D. Michaeli Diaboli debellatori.

Sed iam uocat nos Antiquarium, uetustissima pars Aulae

(nam quae uetustiora erant, deleta sunt): pauca hic praefabor.

Antiquarium, omnium fere consensu oecus pulcherrimus omnium

qui aetate renascentium litterarum

in Germania aut omni regione transalpina aedificati sunt,

conditum est ab Alberto V. duce Bavariae (cuius statuam in Ecclesia Mariae uidistis).

Vir maximi momenti, si quidem litteras et humanitatem spectamus.

Nemo magis carmina et libros amabat –

quare condidit Bibliothecam (nunc *Staatsbibliothek*) –

nemo magis artem musicam –

quare Orlandum Lassum Monachium arcessiuit –

nemo pluris fecit pictores et sculptores,

nemo magis sacrae uetustati deditus erat.

Quare ex Italia plurimas sibi imagines antiquae artis conquirebat

praesertim Caesarum siue imperatorum;

quas imagines ut in unum collectas exhibere posset,
aedificari iussit sibi hoc Antiquarium.

Intrate et spectate uno obtutu maximum thesaurum artis antiquae,
qui umquam uobis oblatu est!

Totum hoc aedificium olim non erat pars Aulae
cum ceteris partibus coniuncta (ut nunc est),
sed absolutum et separatum erat, factum ad id unum,
ut hae imagines antiquae a duce collectae conspici possent.

Eam ob causam qui artium historiae periti sunt,
hoc primum dicunt fuisse in toto orbe terrarum uerissimum „museum“,
quo nomine nunc quidem uti solemus,
i.e. aedes quarum finis ac propositum est opera artis, signa et imagines, continere et exhibere:
noua omnino res ab Alberto duce excogitata!

Olim autem imagines non erant ut nunc ad fenestras positae,
sed per totum oecum ubique distributae et collocatae erant.

Mutauit hanc naturam loci Gulielmus V. Alberti filius, conditor ille Ecclesiae Michaelis,
qui uoluit hic fieri ludos et conuiuia sollempnia –
quod usque ad haec nostra tempora permansit:
imprimis Franciscus Iosephus Strauss saepissime hospites publicos
ciuitatis nomine ad conuiuia conuocabat
(non cum gaudio eorum qui publica monumenta tuentur dicunturque *Denkmalschützer*).

Ipsae imagines, ut uerum fateamur neque omnes optimae sunt
neque omnes antiquae,
sed minor pars saltem aetate renascentium litterarum ficta.

Persaepe etiam tituli inscripti imaginibus non ueri sunt –
ut hic quidem uidetis effigiem quae titulo Octauiani Augusti esse dicitur,
cum tamen barbata sit,
quae barba Augusto minime apta uideatur;
quod is semper se effingi ut adulescentem aut puerum uoluit
neque ullus imperator omnino ante Hadrianum barba insignis fuit.

Imagines autem hoc modo sunt dispositae,
ut senae uni cuique fenestrae attributae sint.
In superiore quoque ordine sunt feminae (pleraeque uxores Caesarum),
in inferiore uiri (plurimi nempe Caesares).

Ordo autem incipit illic a Romulo et Numa Pompilio regibus Romanorum
(sequuntur diuersi uiri sine certo consilio locati:
Alexander Magnus, Scipio Africanus, Mithridates ...);
hic series imaginum incipit ab ipso C. Iulio Caesare
(qui tamen aetate recentissima fictus est);
inde ordine fere temporum Caesares singuli cum suis cognatis sequuntur:
Augustus, Tiberius, Caligula

Si singula contemplantur fortasse uobis accidet id quod Iacobo Balde poetae:
is dum lustratur imagines,
subito furore in ipsa uetustatis tempora sibi abripi uisus est,
quem „Enthusiasmum“ describit in ode lyrica lepidissima.

Sed nos inspiciamus etiam picturas in fenestris et in tecto:

In singulis fenestris, quae sunt triginta duae,
terna oppida Bauarica, qualia tunc erant, depicta sunt
(ut Frisinga, Landshuta, Ingolstadium ...),
quorum formam ueterem hinc cognoscere licet,
si quidem acutis oculis instructi estis.

In tecto autem siue camera allegorice demonstrantur per mulierum imagines
sedecim Virtutes, quae etiam binis titulis explicantur.

Hic series incipit a Fide (quae uirtus maxime Christiana est),
de qua scriptum legimus: „Fidei proprium numquam omnino turbari“

et „Fides certior ratione“,
 unde manifestum est eam non esse fidem Romanorum,
 sed fidem Christianorum (Graece πίστις, Germanice *Glaube*);
 crux quoque picta hoc indicat.

Sequuntur ordine Spes et Caritas.

Hae igitur sunt tres uirtutes a Paulo apostolo celebratae (in Ep. ad Cor.):
 Fides, Spes, Caritas – πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη.

Proximae sunt quattuor uirtutes Platonicae: Prudentia, Temperantia, Iustitia, Fortitudo
 (quas iam in fronte Aulae sculptas uidimus).

Atque hae uirtutes Paulinae et Platonicae in picturis et catalogis saepe inter se coniunguntur.

Notabiliores ceterae: Fama, picta cum duabus tubis –

haec si diligenter quaerimus uirtus non est, sed, ut scriptum est,
 „Fama uirtutes reddit illustriores“ –

ergo hic in medio uirtutum coetu ponitur, Alberto duci scilicet carissima!

Sequuntur: Constantia, Veritas –

ne ea quidem uirtus, sed grata duci (uidete librum!) –

Constantia, Castitas, Humilitas, Clementia (uirtus maxime Caesarea).

Atque hae omnes mihi praesertim ad personam principis spectare uidentur;

reliquae magis ad ciues aut magistratus principi subditos:

Patientia, Abstinencia, Obedientia.

Vix dubito quin Albertus V. dux ipse has uirtutes suo arbitrio composuerit.

Quamquam totus oecus designatus est a Iacopo Strada et Simone Zwitzel,
 renouatus a Friderico Sustri (qui aedificauit etiam ecclesiam D. Michaelis).

Causa summae pulchritudinis in lucis diffusionem posita uidetur:

Lumine artificiose immisso singulae partes quasi exprimuntur,
 ut omnia certis interuallis dulcissime diuisa sint.

Satis dixi, satis demonstraui:

Nunc uos uestro arbitrio per oecum uagati
 eligite quid diligentius uisendum uobis existimetis.